



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola VI. Ioanni Iaponi Neophyto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

NOVARVM EPIST. Lib. 7. 613

ferat idoneam panni Lusitanici , quo se ac So-
cios , quos ibi reperiet , protegat à frigoribus
longè acerrimis rigidissimarum illic hiemum .

Vale .

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

Franciscus.

E P I S T O L A VI.

I O A N N I I A P O N I

N E O P H Y T O.

Ioannes Iapon Fili mi: Scribo ad Patrem
Magistrum Gasparem ut tibi Goꝝ corro-
get è liberalitate piorum aliquantum pecu-
niæ , unde merces in Iaponiâ vendibiles coë-
mas . nolo enim te redire in Patriam nudum ,
ut inde venisti . Goam ibis cum Patre Ioanne
Beirâ , navibus stato tempore Malacâ versùs
Indiam solitis solvere . Simul eð perveneris
reddes Patri Gaspari Goani Collegij Recto-
ri quam huic junctam Epistolam tibi ipsi com-
mitto , pro te scriptam . Patribus qui Goâ
solvent in Iaponiam ituri , quibus comes affi-

QQ 3

gna-



614 S.FRANCISCI XAVERII

gnaberis , fac sedulò ministres , fideliterque
inservias quoad eos Amangucium perduxeris .
Autor magnopere tibi sum , ut s̄æpe confi-
tearis Sacerdoti quæ te peccare contigerit ,
dolens ob Dei offendam , & emendationem
firmissimè decernens . Velim etiam Sacram
Eucharistiam frequenter sumas cum summâ
reverentiâ & desiderio præmuniendi te adver-
sùs pericula excidendi à Dei Gratiâ . quod
ne tibi accidat , auxilium assiduè Divinum
implora . tum in occasione labendi connitere
totis viribus ad standum & perseverandum
in Dei obsequio : memor si peccaveris , inevi-
tabiliter eventurum , ut in hac vitâ , aut in
futurâ gravissimè puniaris . quocirca omnium
terribilium maximè formidandum puta , in-
cidere te in culpam , ob quam æternū urendus
in Tartaro sis . ubi perveneris in Iaponiam
memento salutem à me plurimam reddere
Marco & Paulo . Deus te faciat Sanctum &
felicem : inque suam Paradisi Gloriam per-
ducat . Ex Freto Sincapurano xi . Kal . Augu-
sti An . CCCCCLII .

Dices Patri Francisco Perezio , ipsi ostendens hanc ipsam meam Epistolam , ut quando solves in Indiam , scribat Cocinum Patri Antoniu Herediæ , commendando illi meo no-
mine ,



mine, ut in ea ipse urbe conquerat tibi aliquam Eleemosynam, aut à Sodalitio Misericordiæ, aut à quibusdam eorum quos in viâ spiritus dirigit. Significa quinetiam ipsi Patri Francisco Perezio, gratam eum mihi rem facturum, si expectans tuum ex Indiâ reditum, in occasiones invigilaverit corrogandæ tibi alicujus pecuniolæ, quam interim tibi servet, ac Goâ reverso procinctoque ad cursum Iaponicum numeret. monstra illi hoc ipsum meum scriptum, quod fidem istius mei desiderij facias. Iuvabit ille te proculdubio parùm aut multùm, prout potuerit. quod si quis casus obstaret quo minus literas à Perezio ad Herediam scriptas haberet, ubi Cocinum veneris, exhibe Patri Herediæ illic Collegium regenti, has ipsas ad te meas literas. Id sufficiet ut is intelligat, quid pro te cupiam, & scilicet efficiat enixè quod poterit ad tibi alicunde corrogandum pecuniarium subsidium quodpiâ. Tu verò iterum etiam atque etiam rogo, memor sis curare diligenter Patres tecum in Iaponiam ituros, ijsque obsequi ac servire fide summâ.

Addo hîc meâ manu, Ioannes Fili: servi valdè benè Patribus tecum ituris in Iaponiam, & deduc eos Amañgucium usque.

Tibi Amicus ex Animo. *Franciscus.*

Qq 4

Io-

616 S.FRANCISCI XAVERII

Inscriptio exterior in unâ Plicaturæ facie hæc erat :

Ioanni meo Filio.

In altera hæc legebatur : *Ioannes Fili,*
Ioannes Bravius tibi leget hanc Epistolam.

E P I S T O L A V I I .

IACOBO PERERIÆ.

Tenerum , Domine , Tui desiderium ex recenti tuo capitis longè dulcissimi conspectu , exulcerat mihi animum Imagine ac recordatione discriminis in quo te reliqui . utique in Terrâ Cœli haustu corrupti , & pestiferâ contagie languentium , quotidianis diræ luis contrahendæ periculis expositâ . Hæc mihi cura simulacrum tui continuè mentis oculis obijcit , cor acerbo metu pungens , ne tibi secus quām dignus es , & quām anxijs votis ambio , humanitùs aliquid contingat . In hâc tuâ nave tui omnes , quod sic te velle norunt , eximio me honore benevolentiaque præfiquuntur , subministrantes abundè cuncta quæ opus sunt , non ad victum modò meum bene-

valen-

